

culo innocentissimo pro dato hoc præclarissimo testimonio; *sin posterius*, reliquis omninò aggregabatur & proli deinceps gignendæ, ut consueverunt, vacabat: quæ quidem tum à Sp. Sancti, tum ab illius, cuius vertici infederat, puritate res est omnium alienissima. Quocunque tandem te veritas, dicimus cum *Josuâ Stegmanno* (*Meletem. XVII. Christognos.*) Nobis sufficit, quòd illa columba ad significandum Spiritum S. facta est, sive in vero columbæ corpore, sive in eiusd. effigie apparuerit. Non enim, quod ait *Cbennitius* (*cap. XVII. Harmon. Evangel.*) agitur de articulo aliquo fidei, modò præsentia & unctio Spiritûs in hac historiâ retineatur, quæ indicata & obsignata est externâ & visibili specie columbæ.

Melior autem in eò locabitur opera, si consideraverimus, quid indicetur nobis hâc apparitionis specie, in quo præcipuè occupaverunt sese Exegetæ. *Columbam* dicunt rerum naturalium polyhistores, & plerique omnes novimus, *simplex esse animal & mansuetum, quod nec sedit morsibus, nec violet unguibus, nec vorax carniûm ut corvus, nec persequens alias ut accipiter: felle non est amarum, bile non est inflatum. In videndo est perspicax, in volatu velox, in pernitendo constans. Caput subinde in cælum elevat, collum, quando bibit, non resupinat, in cavernis libentius habitat, gregatim volitat, communem domum servat, ovis vicissim incubat, subolem equè amat, mutuis osculis conjugalem amorem demonstrat. Oculos habet gratiosos & lucidos, pro garritu & convicio gemitum iterat, munda appetit, munda bibit. Inde gratia Spiritus S. depingitur, inde veri Christiani vita delineatur.* S. *Paullinus*, si *Guido Pancirolo* credimus (*Commentar. in Notit. Imper. Orient. c. 39.*) epist. XII. scribit, olim supra crucem rubentem duas columbas in templis depingi consuevisse, quo symbolo significabatur, simplicibus cælum patere, ut epigramma cruci inscriptum aperit